



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

In Qvo Agitur Nominatim De Sacerdotibus, Confessarijs, Magistris siue  
Doctoribus, Concionatoribus, Episcopis & alijs Prælatiſ, eorumque  
Ministerijs - In ſeptem Tractatus distributus ...

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1629**

Illvſtriſſimo, Et Reverendiſſimo Domino, D. Francisco S. R. E. Presbytero  
Cardinali à Dietrichſtein/ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45750)

ILLVSTRISSIMO, ET REVE-  
RENDISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO

S. R. E. PRESBYTERO

CARDINALI à Dietrichstein/

EPISCOPO OLOMYCENSI, PRINCIPI; REGIAE  
*Capellæ Bohemiae Comiti, S. C. Regiæq; Maestati ab intimis Consilijs,  
nec non Regnorum ac Ditionum eiusdem hereditariarum  
Protectori, Omnem felicitatem.*



Vemadmodum eum P. Ludouici de Ponte Me-  
ditationum librum, quem pridem dedicaeram,  
pietas T<sup>r</sup>. C<sup>is</sup>. euicerat, Princeps illustrissime: ita  
modò hunc alterum ab eodem Autore de Eccle-  
siastica Hierarchia compositum, & à me Latinita-  
te donatum T<sup>r</sup>. itidem C<sup>is</sup>. publica euincit autoritas. Conue-  
nientissimè nimirū is etiam debebatur, & è Sanctissimo Purpu-  
ratorum Patrum Senatu tibi, magno Hierarchæ, & vigilantissi-  
mo vniuersi gregis, cui à Spiritu sancto positus es Episcopus,  
directori; nam & earum virtutum, quæ in vtroque hoc Sacro  
Principatu requiruntur, nobilis es Magister; & earum, quæ  
in Te, Princeps Illustrissime, ad omnium admirationem  
& commendationem irradiant, Index luculentus. Non eges  
Tu quidem illo altero: cum is, qui in omnibus seipsum præ-  
bet exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate,  
in grauitate, Magistro non egeat; neque Indice opus habes;  
cū & Vicarij Christi, & Hierarchicus Cardinalium ordo,  
quando Te vel plurimis, ijsque grāuissimis Christianæ Rei-  
publicæ difficultatibus tollendis præfecerunt; vel quando Sa-  
cræ Cæsareæ M<sup>ts</sup>. Prouinciarum Hereditariarum planè Hie-



rarchicè dixerunt protectorem, quantus sis, Orbi vniuerso ostenderunt: tamen neque ijs, quos opportunè arguere, obsecrare, increpare non potes, erit importunus hic Magister; neque ijs qui se obliuiosos profitentur, inutilis per omnia idem Index: nam ex illo plurimi discunt vigilare, laborare, in omnibus opus Euangelicum facere, ministerium suum implere, sobrietatem sectari; ex altero Te, Princeps Illustrissime, & hæc impleuisse omnia, & certauisse bonam certamen, cursum consummasse, fidem seruasse, & vique ad coronam perseverasse, poterunt reminisci. Quæ omnia verissima aut affirmari, aut sperari de Te, Princeps Ill<sup>me</sup>, & illis, qui Tua præclara facta cognouerunt, (quis autem non cognouit?) est exploratissimum; & illis, qui magnitudinem animi tui perspectam habent, & non dubios conatus in ijs, quæ ad amplificandam Religionem spectant & pietatem, est clarissimum. Accipies itaque hoc qualecunque est Tibi maximè debitum, Princeps Ill<sup>me</sup>, munusculum; & societatem Iesu, à cuius filijs hoc ad Te proficitur, vt abundantissimè facis, fouebis ac seruabis: in quo quantum Tua beneficentia eius gratias superabit, tantum compensabit T. C. Remunerator eius IESVS: à quo, vt & tu Princeps Ill<sup>me</sup>, Ecclesiæ Sanctæ & vniuersæ Reipublicæ Christianæ diutissimè conserueris precibus ex SS. Sacrificijs satagam obtinere. Vale felicissimè, & diutissimè Pragæ, Kalendis Octobris. Anni M. DC. XVII.

*Illustriss. C. Vestra*

*Humilissimus in Christo seruus*

Melchior Treuinnius.

PRÆ-